

sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur secunda differentia. Quia in aliis oppositis semper alterum est imperfectum; quod accidit ratione negationis, quae includitur in privatione et altero contrariorum. Hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest, ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater et filius. (Qq. Disp. Pot. q. 7. ad 8.)

2^a **Suscipiunt magis et minus.** — Haec proprietas non est intelligenda, quasi ipsa relatio intendatur vel remittatur, ut contingit in qualitatibus; sed quatenus, variato fundamento, relativa denominantur magis vel minus talia *per accessum vel recessum ab uno perfecto termino*, ut videre licet in similitudine et aequalitate. Cf. Suarez (*Metaph.* D. 47. sect. 8. n. 3., 4.).

3^a **Sunt simul natura et cognitio.** — Sermo est de relativis, quia talibus. Ratio plana est. *Esse enim ad*, in quo posita est relatio, est forma indivisibiliter afficiens, tametsi diversimode, utrumque extremum.

4^a **Ad relationem non datur motus seu mutatio, nisi per accidens.** — Hanc proprietatem tradit Aristoteles (5. *Physic.* c. 2. al. 3.). Quo pacto vero sit intelligenda, et qua de causa, sic dilucide ex mente Philosophi exponit Angelicus. "Ostendit (Aristoteles), quod non est motus in genere *ad aliud*. In quocumque enim genere est per se motus, nihil illius generis de novo invenitur in aliquo absque eius mutatione; sicut novus color non invenitur in aliquo colorato, absque eius alteratione. Sed contingit de novo verum esse aliquid relative dici ad alterum, altero mutato, ipso tamen non mutato. Ergo motus non est per se in *ad aliquid*, sed solum per accidens, in quantum scilicet ad aliquam mutationem consequitur nova relatio; sicut ad mutationem secundum quantitatem sequitur aequalitas vel inaequalitas, et ex mutatione secundum qualitatem similitudo et dissimilitudo." (5. *Physic.*, lect. 3.) Ex qua doctrina maxime confirmantur, quae ante docuimus (lib. XVI.).

DISPUTATIO IV.

DE POTENTIA ET ACTU

SECTIO I.

Notio potentiae et actus enucleantur.

561. **Notio potentiae activae et passivae ex mente Philosophi.** — Nomen *potentiae* dupliciter accipitur in *Metaphysica*, *praedicamentaliter*, et *transcendenter*. Primo modo consideratur, prout est species determinata *qualitatis*; et hoc sensu non est quaestio in praesenti. Alio modo sumitur, prout ad omne genus entis se protendit; et de potentia sic intellecta sermonem nunc habemus. Ut haec porro notio rite praeformetur, notandum est, eam primo ingenerari in mente nostra ex contemplatione mutationum, quas experimur. Intellectus enim non in superficie rerum sistit, quas persentimus, sed continuo ad earundem rationes ac principia perscrutanda naturaliter fertur [267]. Quare simul ac conspicimus, unum in aliud transmutari, praeter meram phaenomenorum successionem, quam sensus percipiunt, mens suapte natura ad principium etiam huius successionis et transmutationis concipiendum assurgit. Ut enim transmutatio contingat, necessario requiritur aliquid quod *transmutari possit*, et aliquid quod reipsa *transmutare possit*: illud est principium *passivum* transmutationis, hoc vero principium *activum*. Hinc conceptus potentiae duplicis, *activae* scilicet et *passivae*.

Priorem Aristoteles ita definit consequenter ad analysin modo traditam: *Principium transmutationis in alio, aut prout aliud est*. Aliam vero sic: *Principium quod aliquid moveatur ab alio aut prout aliud est* (9. al. 8. *Metaph.* c. 1.). Ratio autem epr in utraque definitione adhibeatur reduplicatio significata illis vocibus *prout aliud est*, sic exponitur a S. Thoma. "Hoc est principium activum, quod est principium transmutationis in alio, in quantum est aliud. Et hoc dicit, quia possibile est, quod principium activum simul sit in ipso mobili vel passo, sicut cum aliquid movet seipsum; non tamen secundum idem est movens et motum, agens et patiens. Et ideo dicitur, quod principium, quod dicitur potentia activa, est principium transmutationis in alio, in quantum est aliud; quia etsi contingat principium activum esse in eodem, non tamen secundum quod est idem, sed secundum quod est aliud." (*loc. cit.* lect. 1.)

562. **Utriusque potentiae communis ratio seu descriptio.** — Ut autem ex duplici notione modo tradita communis ratio eruatur, quam conceptus potentiae exhibet, ulterius considerandum est, ad rationem mutationis proprie talis pertinere, ut idem subiectum sit secundum se indifferens ad duplicem eiusdem mutationis terminum, actum videlicet seu formam aliquam, eiusque privationem. Mutatio enim consistit in ipso transitu subiecti ex uno termino ad alium; ac propterea necesse est, ut tale subiectum ad utrumque indifferenter se habeat, ita videlicet ut ab utroque separari, et cum utroque coniungi possit. In conceptu proinde potentiae, quam ante descripsimus, duo involvuntur. Primo, quod utraque sit *principium actus* alicuius, qui in passiva recipiatur, et ab activa dimanet. Secundo, quod actus huiusmodi intelligatur in aliquo subiecto *secundum se indifferenter* ad eius receptionem vel privationem. Iam age, si attente res consideretur, patet nonnisi primum per se pertinere ad conceptum potentiae, prout potentia est; alterum vero saepe quidem ipsi convenit, non tamen per se, sed ratione subiecti in quo est vel operatur. Quocirca e duplici elemento, cuius analysin

instituimus, primum bene seiungi potest a secundo, ut patet in creatione, et in emanatione accidentium propriorum, quae una cum existentia recipiuntur in substantia. Utrouque enim intacta manet notio vere et proprie dictae *potentiae*, seu principii a quo actus aliquis dimanet vel in quo actus aliquis recipiatur; nec tamen subsistit notio subiecti secundum se indifferenter ad praedicti actus receptionem ac privationem. Quapropter, re intus et generalius inspecta, conceptus potentiae huc redit, ut sit nimirum principium alicuius actus, qui ab eo dimanet, vel in eo recipiatur. *Potentia*, ait Angelicus, *nihil aliud significat, quam principium alicuius actus.* (*Summa th.* 1. p. q. 41. a. 4.) Quae autem ex doctrina Philosophi in numero praecedenti retulimus, generalem potentiae definitionem minime exhibent, sed coarctari debent ad ea, quae notiora sunt nobis, et ex quibus, ut diximus, potentiae conceptus primo in humana mente progignitur.

563. **Potentia activa et passiva in quo convenient, et in quo differant.** — Ex dictis apparet, potentiae sive activae sive passivae commune esse, quod utraque *verum* sit ac *reale* principium alicuius actus. Cum vero principium dari nequeat sine eiusdem distinctione ab eo, cuius est principium, propria potentiae ratio nulli rei potest attribui *vere et realiter*, nisi vera et realis distinctio intersit inter eam et actum, qui ab ea dimanare, vel in ea recipi dicitur (1). Differunt autem hae binae potentiae dupliciter. Nam primo, utraque includit quidem respectum ad actum,

(1) Huc spectat doctrina a S. Thoma tradita his verbis, "Potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo, cuius est principium. Consideratur autem duplex distinctio in his quae dicuntur de Deo: una secundum rem, alia secundum rationem tantum. Secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam a rebus, quarum est per creationem principium, sicut una persona distinguitur ab alia cuius est principium secundum actum notionalem. Sed actio ab agente non distinguitur in Deo nisi secundum rationem tantum; alioquin actio esset accidens in Deo. Et ideo respectu illarum actionum, secundum quas aliquae res procedunt distinctae a Deo, vel essentialiter vel personaliter, potest

sed non eodem modo: ut enim diximus, potentiae passivae respondet actus ipsam informans, activae vero respondet actus ab ea dimanans. Hinc secundo, illa dicit imperfectionem, altera contra perfectionem. Ad rem Angelicus. "Unumquodque, ait, secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius: patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum." (*Summa th.* 1. p. q. 25. a. 1.)

564. **Potentia naturalis, et obediens.** — Potentia passiva necessario dicit ordinem ad aliquam potentiam activam, a qua recipiat vel recipere possit actum quo completur: nihil enim per se dat sibi perfectionem qua indiget. Communiter autem distinguunt philosophi ac theologi duplicem potentiam passivam in creaturis, *naturalem* scilicet ac *obedientialem*. Desumpta est haec distinctio ex doctrina B. Augustini (9. *De Gen. ad litt.* c. 17), eamque sic declarat S. Thomas. "In anima humana, ait, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparisonem ad agens naturale; alia vero per comparisonem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorum actu, in quem reducit per agens naturale; et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura." (*Summa th.* 3. p. q. 11. a. 1.) Est porro discrimen valde notabile inter utramque. Cum enim prior dicit ordinem ad agens naturale atque adeo finitae virtutis, potest ea tota expleri. Contra, potentia obediens sic nominatur ex ordine rei

attribui potentia secundum propriam rationem principii. Et ideo sicut ponimus potentiam creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi vel spirandi. Sed intelligere et velle non sunt tales actus qui designent processionem alicuius rei a Deo distinctae vel essentialiter vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi et significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus et intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia non habens principium." (*Summa th.* 1. p. q. 41. a. 4. ad 3.) Confer quae supra diximus [466].

ad agens primum, quod est Deus, cuius virtus numquam exhauriri potest. Quare *quidquid*, ait Aquinas (Qq. Disp. Verit. q. 29. a. 3. ad 3.). *Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo.* (1)

(1) Quoniam in theologia passim occurrit haec distinctio, eaque summi momenti est ad plures gravesque questiones intelligendas, praestat ad uberiorem rei declarationem haec subicere, quae Suarez egregie animadvertit. "Atque hinc, ait, facile intelligitur, quid dicendum sit de potentia, quam res creatae habent ad recipiendos aliquos actus divinae et supernaturalis virtutis, quos per naturales causas recipere non possunt, ut est capacitas animae ad gratiam, et intellectus ad lumen gloriae. Non est enim dubium, quin talis potentia positiva et realis sit, et in ipsis rei entitate fundata. Non enim dicit potest, quod sit sola non repugnantis: nam licet haec simul intercedat, tamen sola non satis est ad realem causalitatem materialem, quam huiusmodi res habent circa actum, quem in se recipiunt; nam sunt verum ac reale subiectum eius, a quo talis actus accidentaliter in esse et fieri pendet. Est igitur in tali subiecto realis capacitas passiva ad talem actum. De hac ergo capacitate disputant theologi, an naturalis dicenda sit: et Scotus (2. *Dist.* 2. q. a. 6.), et discipuli eius naturalem appellant; Caietanus vero (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 1. et q. 12. a. 1.) et alii thomistae vocant obedientialem, et melius loquuntur, licet possit esse dissensus in solo modo loquendi. Certum est enim hanc potentiam non esse aliquam rem superadditam naturae verum, aut ab eis in re ipsa distinctam: nam superadditam naturae capacitem, de qua eadem rediret oportere illi supponere aliam capacitem, de qua eadem rediret quaestio. Unde secundum hunc respectum potest dici talis potentia naturalis subiecto, quia et est cum illo naturaliter congenita, et est ipsamet entitas naturalis eius. Quo modo dixit Augustinus (*De Praedest.* SS. c. 5.): *Posse habere fidem et caritatem naturae est fidei cum;* et D. Thomas (*Summa th.* 1. 2^{ae} q. 113. a. 1.) eodem sensu ait, *rationalem animam naturaliter esse capax gratiae;* et (*Summa th.* 1. p. q. 48. a. 4.) iterum ait, *habilitatem animae ad gratiam consequi naturam eius.* Ad vero comparatione ad actum et ad agens, a quibus potentia simpliciter denominatur, non potest haec potentia dici naturalis, ut recte dicit D. Thomas (1. *Dist.* 14. q. 9. a. 2.), tum quia ille actus est simpliciter et in se supernaturalis; tum etiam, quia non potest a naturali agente reduci ad actum; tum praeterea, quia neque talis actus est ex natura rei debitus tali potentiae, neque ipsa habet naturalem inclinationem ad illum iuxta veriorum theologorum sententiam. Et ideo vocari solet haec potentia obediens, seu potentia obedientiae." Huc usque Suarez (*Summa th.* 1. p. tom. 3. D. 43. sect. 4. n. 16.). Confer etiam quae idem auctor observat (*loc. cit.*, D. 31. sect. 6.).

565. **Potentia obiectiva.** — Utraque potentia, de qua haecenus, est aliquid reale ac physicum. Porro ab utraque distinguere oportet alium modum potentiae, quaeque consideratur in ipsa re, *quae et quatenus possibilis denominatur*. Nempe ea est, quam veteres *obiectivam* appellarunt, pro eo quod rei convenit, ut est obiectum seu terminus sive in mentis consideratione, sive respectu causarum a quibus res dependet. Recentiores simpliciter nomine *possibilitatis* ad eam designandam utuntur. Iam age, dupliciter aliquid dicitur possibile, *relative* scilicet et *absolute*. Relative possibile dicitur habito respectu ad potentiam, in qua res continetur tanquam in causa. Hinc talis possibilitas vocatur etiam *extrinseca*: est enim per denominationem a potentia extrinseca, causarum scilicet unde res dependet. Recentiores solent hoc possibilitatis genus explicare solummodo per ordinem ad causas rei *efficientes*. Sed cum res etiam ab aliis causis dependeat, patet notionem extrinsecae possibilitatis a nobis traditam ex mente veterum veriorum esse ac generaliorum: eam nempe explicamus per ordinem ad causas omnes, in quarum virtute seu potentia continetur. "Dicitur autem, ait S. Thomas, aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem absolute, quia praedicatum non repugnat subiecto, ut Socratem sedere: impossibile vero absolute, quia praedicatum repugnat subiecto, ut hominem esse asinum." (*Summa th.* 1. p. q. 25. a. 3.) Quare possibilitas istiusmodi vocatur etiam *interna* ac *logica*. Interna quidem: sumitur enim ex ipsa essentiali ratione subiecti et praedicati, ut quae non implicat esse et non esse simul. Logica vero nuncupatur, quia non est vera quaedam potentia physica rei, quae possibilis denominatur, sed ei convenit prout est obiectum intellectus: quae enim contradictionem non implicat, possunt in uno conceptu a mente coniungi, non vero quorum unum ponit quod ab alio removetur.

566. **Possibilitas physica, moralis.** — Extrinseca rei possibilitas, ut quae relativa est, non unius modi, sed multiplex esse potest in una eademque re, cum nihil

prohibeat, quominus unum idemque possibile dicatur respectu unius causae, impossibile vero respectu alterius. Solet tamen specialis distinctio fieri inter eam, quam *physicam* vel *moralem* possibilitatem appellant. Solet porro aliquid dici physice possibile dupliciter. Primo per comparisonem ad ordinem physicum, et sic possibile dicitur quod fieri potest servato ordine legum naturalium. Huic opponitur *miraculosum*. De hoc modo possibilitatis loquuti sumus in Logica [232]. Alio modo dicitur aliquid physice possibile per comparisonem ad virtutem alicuius causae, quaecumque demum illa sit, in qua videlicet habetur virtus sufficiens et proportionata ad rei effectum: contra dicitur res physice impossibilis, ex. gr. quod creatura aliquid efficiat creando. Quod vero spectat alium possibilitatis modum, quae *moralis* appellatur, generatim dicitur moraliter possibile alicui causae, *quod neque excedit eius virtutem, neque adeo est difficile, ut nunquam aut fere nunquam ab ea producatur*. Quod si actio virtutem causae non excedat, adeo tamen est difficilis propter adiuncta, quae eius exercitium praepediunt, ut vix ac ne vix quidem eam exerceri contingat, talis actio dicitur respectu causae huiusmodi physice quidem possibilis, sed moraliter impossibilis. Exempla obvia sunt in operationibus liberis seu moralibus, unde ipsum nomen possibilitatis vel impossibilitatis moralis depromptum est.

567. **Notio actus.** — Devenientes nunc ad simplicissimam notionem *actus*, praestat eiusdem descriptionem a Philosopho traditam huc afferre. Sic igitur loquitur. "Est autem actus, *ἐνέργεια*, rem existere non ita quemadmodum dicimus potestate, *δυνάμει*: dicimus autem potestate, ut in ligno Mercurium; et in toto dimidium, eo quod auferri possit; et scientem etiam illum, qui non speculatur, modo speculari possit. Manifestum autem, quod dicere volumus, per inductionem in singularibus erit, et non oportet omnium definitionem quaerere, sed etiam quod proportionale est conspiciere; quemadmodum se habet aedificans ad aedificabile, et vigilans ad dormiens, et videns ad connivens habens tamen visum, et segregatum

a materia ad materiam, et elaboratum ad inelaboratum; huius autem differentiae alteri parti actus applicatus sit, alteri vero possibile. (S. al. 9. *Metaph.* c. 6.) Apposite in huius loci commentarium S. Thomas. "Prima simplicia, ait, defini non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem est de primis simplicibus: unde defini non potest. Sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem potest videri, quid est actus. Ut si accipiamus proportionem aedificantis ad aedificabile; et vigilantis ad dormientem; et eius, qui videt, ad eum qui habet clausos oculos, cum habeat potentiam visivam; et eius quod segregatur a materia, i. e. per operationem artis vel naturae formatur, et ita a materia informi segregatur; et similiter per comparationem eius, quod est praeparatum, ad illud quod non est praeparatum, sive quod est elaboratum ad id, quod non est elaboratum. Sed quorumlibet sic differentium altera pars erit actus, et altera potentia. Et ita proportionaliter ex particularibus exemplis possumus venire ad cognoscendum, quid sit actus et potentia." (*loc. cit. lect. 5.*) Confer quae diximus [97, 102].

568. **Quotuplex actus.** — Actus dupliciter intelligi potest: absolute sive secundum se, prout videlicet contradistinguitur a potentia et in sua propria perfectione consideratur; ac respective, h. e. in ordine ad potentiam a qua eliciatur vel in qua recipiatur. Hinc multiplex divisio actus enascitur, quae hic breviter est innuenda.

I. Primo itaque actus, absolute si spectetur, duplex distinguitur, *entitativus* scilicet et *formalis*. Ille est ipsemet *essendi* actus, quem supra descripsimus [432]. Vocatur *entitativus*, quia inde aliquid denominatur *ens*. Posterior vero actus, nimirum *formalis*, est ipsa rei forma, prout hoc nomine significatur *ratio essentiae*, quod scilicet res est haec, aut talis vel tanta, aut tali modo se habens. Quae nam vero sit propria ratio utriusque actus, et quotuplici modo haberi queat, magis patebit ex iis, quae suis quaque locis dicenda erunt.

II. Deinde actus alius dicitur *receptus*, alius vero *irreceptus*. Accipitur haec divisio in actu respective consi-

derato, ac propterea dicitur irreceptus, qui a nulla potentia et in nulla potentia recipitur. Secus habebitur actus *receptus*. Quocirca sicut ad rationem actus irrecepti excludi debet duplex ordo, ad potentiam scilicet sive activam sive passivam; ita actus dicitur receptus propter alterutrum ordinem, quem includit, videlicet vel ad potentiam activam a qua dimanet, vel ad potentiam passivam in qua recipitur. Utrum vero in quolibet actu recepto utraque haec relatio semper coniungatur, ex iis, quae dicturi sumus in decursu huius disputationis, patebit.

III. Tercio ac praecipue dividitur actus in *operationem*, et *formam*, a qua procedit operatio. Etiam haec divisio desumpta est ex ordine, quem actus habet ad potentiam: operatio enim respondet potentiae activae; forma autem, unde operatio procedit, respondet potentiae passivae. Prior dicitur actus secundus; alius vero vocatur actus primus. Ille dicitur actus secundum primam impositionem huius nominis; hic vero quatenus forma est operationis principium ac finis. (1)

(1) "Potentia dicitur ab actu. Actus autem est duplex, scilicet primus qui est forma, et secundus qui est operatio. Et sicut videtur ex communi hominum intellectu, nomen actus primo fuit attributum operationi; sic enim quasi omnes intelligunt actum. Secundo autem exinde fuit transmissum ad formam, in quantum forma est principium operationis et finis. Unde et similiter duplex est potentia: una activa, cui respondet actus, qui est operatio; et haec primo nomen potentiae videtur fuisse attributum; alia est potentia passiva, cui respondet actus primus, qui est forma, ad quam similiter videtur secundario nomen potentiae devolutum." S. THOMAS (Qu. Disp. Pot. q. 1. a. 1.)

SECTIO II.

Axiomata quaedam huc pertinentia.

569. *Axioma I.* — **Potentia activa non dividitur contra actum sed in actu fundatur.**

Explicatur. Potentiae enim cuilibet, quae talis reipsa sit, respondet quidem aliquis actus, qui ab ea producat vel in ea recipiatur, quique propterea oportet ab ea distinguatur. Discrimen tamen est inter potentiam productivam actus, ac receptivam ipsius. Ad illam enim actus comparatur ut rivulus ad fontem: quare ipsa minime caret perfectione, quae invenitur in actu, qui ab ea procedit, sed talem perfectionem vel secundum eandem rationem, vel secundum nobiliorem modum praecontineat necesse est: perfecti enim est perfectionem aliis impertire. Contra, potentia passiva seu receptiva compleri indiget actu, ad quem dicit ordinem, atque ita, secundum se considerata, caret perfectione quae in tali actu invenitur. Primo modo se habet ex. gr. is qui docet respectu eius qui scientiam addiscit. Ad rem S. Thomas. * Dicendum, quod potentia activa non dividitur contra actum, sed fundatur in eo: nam unumquodque agit secundum quod est in actu. Potentia vero passiva dividitur contra actum: nam unumquodque patitur secundum quod est in potentia. Unde haec potentia excluditur a Deo, non autem activa. (*Summa th.* 1. p. q. 25. a. 1. ad 1.)

570. *Axioma II.* — **Potentia ordinatur ad actum et ab actu speciem desumit.**

Ad huius axiomatis intelligentiam notandum est, in eo sermonem esse de potentia, quae vere sit huiusmodi, non vero secundum modum intelligendi tantum, quemadmodum ex. gr. contingit respectu Dei, in quo mente distinguimus potentiam et operationem [563, nota]. Prae-

terea advertendum est, tale potentiae genus duplex esse. Quandoque enim potentia in sua primaria ratione includit actum, tamquam proprium sui finem vel complementum; ut est materia respectu formae, et universe potentiae omnes quae sunt in genere qualitatis. De tali potentia manifesta est ex terminis veritas proloqui, quo de agimus. Quare definiri non potest nisi *per additamentum* actus, quem respicit [100]. Quandoque e converso invenitur in aliqua entitate ratio potentiae, quatenus ea habet quidem vim vel capacitatem ad aliquem actum producendum vel recipiendum, non quia propter illum primario sit instituta, sed vel ob eminentiam suae naturae, vel quasi concomitanter ad naturalem conditionem seu modum essendi quem habet. Sic Deus habet potentiam infinitam ad extra: sic etiam substantia creata est susceptiva qualitatum aliorumque accidentium: sic etiam denique in creatura intelligitur potentia obediens supernaturalium actuum vel donorum. Porro manifestum est etiam, non posse de tali potentia affirmari, eam ad actum ordinari ab eoque speciem desumere: immo saepe accidit contrarium. Sic Deus minime ordinatur ad effectus, quorum est principium activum, multoque minus speciem ab ipsis desumit: sed potius creaturae ordinantur ad Deum, et speciem sortiuntur secundum participatam divinae essentiae similitudinem. Idem dic de substantia comparate ad accidentia: haec quippe ad illam ordinantur et per eam definiuntur, non e converso.

571. *Axioma III.* — **Nihil reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu.**

Hoc proloquium imprimis habet manifestam applicationem in potentia mere *obiectiva*. Ut enim a tali potentia aliquid traducatur in actum, opus est causa agente. Nihil autem est principium activum, nisi secundum quod est in actu. Deinde verificatur etiam de omni potentia passiva, quatenus passiva est. Quod enim vere est in potentia passiva respectu alienius actus, se habet ut imperfectum, seu perfectione indigens. Quod autem est huiusmodi, necessario postulat aliquid, quod perfectionem elargiatur.

Nihil porro perfectionem elargitur, nisi prout est perfectum: nec aliquid est perfectum nisi prout est actu.

572. *Axioma IV.* — *Idem respectu eiusdem nequit esse in actu simul et in potentia.*

Sensus est, non posse unum idemque respectu alius perfectionis esse simul in actu et in potentia, receptiva scilicet: haec enim opponitur actui, ut supra diximus. Esset enim aperta contradictio in terminis. Quatenus enim esset in potentia respectu huius perfectionis, ea careret: quatenus vero esset in actu respectu eiusdem perfectionis, eam haberet. Atqui contradictio est unum idemque simul habere aliquam perfectionem, eademque carere.

573. *Axioma V.* — *Omne, quod movetur, ab alio movetur.*

Hoc pronuntiatum his verbis frequenter usurpatur ab Angelico, sed non alium habet sensum, nisi hunc ita expressum: *Omne quod perficitur, ab alio perficitur, h. e. de potentia reducitur in actum.* Porro id aperte continetur in axiomate praecedenti. Quatenus enim aliquid perficitur, seu movetur, est in potentia: quatenus vero movetur seu perficitur, est in actu. Atqui idem respectu eiusdem nequit esse simul in actu et in potentia. Ergo aliud sit oportet, quod movet, et aliud quod movetur.

Obiicit fortasse, tale proloquium instantiam pati in viventibus: haec enim seipsa movent.

Respondeo, iam supra [561] indicatam fuisse solutionem huic difficultati adhibendam ex mente Philosophi et Aquinatis. Ceterum, ut ea plenius solvatur, praestet haec subicere ex Sylvestro Mauro, qui sic egregie explicat praedictum axioma. * Scotus, ait, et alii videntur passi aequivocationem circa intelligentiam illius principii, *omne quod movetur ab alio movetur.* Videntur enim intellexisse illud negative, ut sensus sit, *nihil movetur a seipso*, et contra illud congesterunt instantias animalium, et aliorum quae movent seipsa. At sensus principii est affirmativus. Nec enim negatur, quod aliquid possit movere seipsum partialiter concurrens ad suum motum, sed assertitur quod non possit movere seipsum totaliter, et tanquam *perfecta*

sufficientia, sed debet ab aliquo alio moveri ad hoc, ut se moveat. In hoc sensu bene penetranti terminos est manifestum, quod omne quod movetur, h. e. intrinsece aliter atque aliter se habet, nunc habendo aliquid esse, nunc eodem carendo, non est sibi tota causa habendi atque amittendi hoc intrinsecum esse, sed ab aliquo alio movetur cogente, vel decipiente, vel alliciente, vel perficiente. (Qq. Philos. lib. 4. De ente immateriali, q. 8. ad 1.)

Instabis rursus, Non videtur repugnantia in eo, quod mobile, tametsi caret *formaliter* perfectione acquirenda per motum, adhuc illam habeat *virtualiter* et *aequivalenter*, et sic poterit sibi dare formaliter id, quod praehabet virtualiter et aequivalenter.

Respondeo. Si haec praeprocontinentia virtualis posita est in virtute, quae sit ratio *inadequate sufficiens* respectu perfectionis tribuendae, allata distinctio bona est, sed inde minime enervatur sensus axiomatis modo traditus. Huc enim redit, nimirum nihil posse perfectionem aliquam de novo acquirere *sine influentia exterioris agentis*. Quod si praedicta continentia virtualis sic intelligatur, quasi sit ratio *adequate sufficiens* respectu perfectionis de novo acquirendae, id est manifeste falsum. Et re quidem vera, quod dicitur sibi dare formaliter perfectionem, quam antea virtualiter continebat, vel in hoc reipsa perficitur vel non. Nequit hoc posterius affirmari, nam evidentius melius se habet virtus cum suo actu proprio, quam virtus eo carens, sicut intellectus perfectus se habet cum actu intelligit, quam intellectus qui potest dumtaxat intelligere. Si vero reipsa perficitur, manifeste repugnat *rem quae est minus perfecta, esse rationem adequate sufficientem rei quae est perfectior*. Quare proloquium illud, *quod movetur ab alio movetur*, si termini rite explicentur, est per se notum, et immediata quaedam applicatio axiomatis III.

574. *Axioma VI.* — *Unumquodque est cognoscibile secundum quod est actu.*

Hoc proloquium potest accipi tum *affirmative*, tum *negative* seu *exclusive*. Quatenus affirmative accipitur explicatione non indiget. Veritas enim ontologica maxime

convenit enti in actu: talis autem veritas est ipsa rei cognoscibilitas. Quod si exclusive accipiatur, eo videtur negari cognoscibilitas de ente in potentia. Hoc tamen dupliciter adhuc potest intelligi. Primo ita ut nullo modo ens huiusmodi sit cognoscibile secundum se, sed tota eius cognoscibilitas alia non sit a cognoscibilitate actus, quo completur. Hic porro sensus est manifeste absurdus. Ens enim vere dividitur per potentiam et actum, ac propterea ratio entis utrique convenit vere et proprie, tametsi analogice [435]. Rationem autem entis consequitur ratio veri seu cognoscibilis. Hinc S. Thomas (Qq. Disp. *Verit.* q. 3. a. 5.) docet, ipsam materiam primam, quae est pura potentia in genere substantiae, habere in Deo ideam distinctam ab idea formae, qua actuatur. Secundo itaque sic intelligi potest, ut ens in potentia, prout huiusmodi, etiamsi vere et proprie sit cognoscibile, id tamen non habeat nisi in ordine ad actum compositi vel formae, quo completur. Hic autem sensus est procul dubio verus, et ex terminis evidens. Ens enim dividitur quidem per potentiam et actum, sed analogice, sic nimirum ut per prius dicatur de re secundum quod actu est, et secundario ac in ordine ad illam de re, prout est in potentia ad talem actum, quemadmodum verbi gratia, figurabile, qua tale, non intelligitur, nisi per ordinem ad figuram. Confer S. Thomam loc. cit. (1)

575. *Axioma VII.* — *Actus praecedit potentiam ratione ac substantia.*

Prima pars huius pronuntiati facili intellectu est.

(1) In explicatione modo tradita locuti sumus duntaxat de cognoscibilitate *obiectiva*, quae tandem aliquando est ipsa veritas ontologica rei intrinseca. Quod si sermo sit de cognoscibilitate *formali*, quae videlicet desumitur ex parte cognoscitivae facultatis, tunc res dicitur cognoscibilis, secundum quod est actu, quatenus huiusmodi cognoscibilitatem non habet, nisi secundum quod actu est in cognoscente sive per seipsam, sive per speciem sui vicariam. Hic porro sensus est certe legitimus, ut suo loco demonstratur, non tamen est ex terminis immediate notus, quod profecto requiritur ad propriam rationem primi principii seu axiomatis.

Ut enim arguit S. Thomas ex mente Philosophi: "Id, per quod oportet alterum definiri, est prius eo ratione: sicut animal prius homine et subiectum accidente. Sed potentia non potest definiri nisi per actum. Nam prima ratio possibilis in hoc consistit, quod contingit ipsum agere vel esse in actu; sicut aedificator dicitur, qui potest aedificare, et speculator, qui potest speculari, et visibile dicitur aliquid quod potest videri, et sic est in aliis. Ergo est necessarium quod ratio actus praecedat rationem potentiae, et notitia actus notitiam potentiae. Et propter hoc superius Aristoteles manifestavit potentiam definiendo per actum: actum autem non potuit per aliquid aliud definire, sed solum inductive manifestavit." (9. *Metaph.* lect. 7.)

Secunda vero pars duplicem habet sensum, utrumque verum. Primo itaque actus dicitur prior potentia secundum substantiam, quatenus esse in actu ex suo genere melius est, quam esse in potentia. Hoc sensu veritatem habet sive comparetur res, prout est in potentia obiectiva, ad seipsam, prout est actu existens; sive comparetur res, prout est in potentia passiva respectu alicuius perfectionis, relate ad seipsam, prout actu habet huiusmodi perfectionem. Hinc fit, ut res eo sit perfectior, ceteris paribus, quo minus est composita ex actu et potentia et per seipsam est actualior. Secundo actus dicitur prior potentia secundum substantiam, prioritate scilicet naturae [504]. Omnis enim potentia passiva completur per operationem alicuius potentiae activae; potentia autem activa fundatur in actu, ut supra dictum est [569]. Apposite S. Thomas. "Quamvis id, quod quandoque est in potentia, quandoque in actu, prius sit tempore in potentia, quam in actu; tamen simpliciter actus est prior potentia, quia potentia non educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid quod sit actu. Omne igitur quod est aliquo modo in potentia, habet aliquid prius se." (1. *Cont. Gent.* c. 16.)

576. *Axioma VIII.* — *Cuiuslibet formae ultima actualitas est esse.*

Sensum huius principii sic optime declarat Caietanus. "Quaecumque quidditas, ait, vel natura, quantum-

cumque secundum rationem quidditativam sit actualis, relate tamen ad esse habet rationem potentiae. Sapientia namque, et bonitas, etc. actuatur per hoc, quod dico *est*, et similiter humanitas et equinitas, etc. Et propter hoc dicitur, quod *esse est actualitas omnis formae*; et quod nulla natura significatur in actu ultimo, nisi prout significatur esse in actu exercit. (In 1. p. q. 3. a. 4.) Ex quo patet, *esse* in hoc axioma severe esse accipiendum, prout nimirum est *actus essentiae*, sive existentia, quemadmodum ante declaravimus [432, II.]. (1)

577. *Axioma IX. — Ex duobus entibus in actu non fit unum simpliciter.*

Communiter intelligitur hoc axioma de iis, in quibus ratio entis est *completa*, quaeque proinde sortiuntur tum completam rationem suae speciei, tum proprium esse tali rationi seu essentiae commensuratum. Hoc modo explicatum est evidens ex terminis. Quae enim sic se habent, eo ipso sunt divisa secundum esse, ac propterea, in rigore et simpliciter loquendo, non sunt ens sed entia. In hoc autem posita est ratio unitatis simpliciter dictae seu per se [453]. Confer quae ante diximus [523...].

578. *Axioma X. — Actus et potentia sunt in eodem genere.*

Hoc effatum desumptum est ex Angelico Doctore, qui eo maxime utitur (*Summa th.* 1. p. q. 77. a. 1.) his verbis. "Cum potentia et actus dividant ens, et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur potentia et actus; et ideo si actus non est in genere substantiae,

(1) Huc faciunt etiam quae S. Thomas habet (*Summa th.* 1. p. q. 4. a. 1. ad 3.), sic inquires: "Dicendum, quod ipsum esse est perfectissimum omnium: comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est. Unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens: cum enim dico esse hominis, vel equi, vel cuiuscunque alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse."

potentia, quae dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiae. Hoc vero minime est sic intelligendum, quasi *nulla* detur potentia, quae non sit in eodem *praedicamento*, in quo continetur actus, cui correspondet. Nam, praeter manifestas instantias, quae contra hunc intellectum militat, quaeque videri possunt apud Suarez (*Metaph.* D. 14. sect. 2. n. 9.), habetur manifesta etiam auctoritas eiusdem Angelici Doctoris sic aientis. "Quamvis potentiae innotescant per actus, non tamen oportet quod in eodem genere ponantur potentiae et actus, praecipue de potentiis activis: unde quamvis generare sit ad aliquid, non tamen oportet quod potentia generandi sit ad aliquid." (1. *Dist.* 7. q. 1. a. 2. ad 2.) Quocirca existimo, hoc proloquium intelligi debere de potentia, quae *ex sui primaria ratione* ordinatur ad actum, tanquam ad proprium finem et complementum. Haec enim, ut ante diximus [570], a tali actu speciem suam desumit. Non possunt enim duo in eadem specie ordinari nisi in eodem etiam genere ordinentur. Potissimum vero id locum habet in potentia et actu, quae sunt principia intrinseca alicuius entis prout ens est, quae nimirum sic se complent, ut constituent aliquid simpliciter et per se unum. Sic enim sunt partes constitutivae *unius per se*. Quae enim non coordinantur sub eodem genere, ut esset ex. gr. substantia et accidens, nequeunt constituere nisi unum secundum quid seu per accidens [454].

SECTIO III.

De sinceritate seu puritate actus primo Enti propria.

579. *Tractionis materia ac limites.* — Huc usque notiones actus et potentiae universe expendimus. Considerandum modo est, an et quo pacto utraque notio ve-

ritatem habeat in Ente primo, et iis quae ab eo procedunt: illud in hac sectione, alterum in subsequentibus tractabimus. Ne autem debitos limites transiliamus, notandum est, minime nos in praesenti persequi velle omnia, quae de natura primi Entis philosophia docet; hoc enim ad theologiam naturalem spectat. Id solum modo agimus, ut inspicimus, quatenam sit propria ratio, qua notio actus in eo locum habeat, nempe ut eluceat huiusmodi notionem sic veritatem in eo habere, ut prorsus omnino impermixta sit cum potentia qualibet, prout haec contra actum dividitur. Sic etiam opportuna occasio se offert, ut notionem *infiniti*, quae inde proxime consequitur, declaremus: placulum quippe foret notionem adeo necessariam et fundamentalem a Philosophia Prima ablegare. Sit itaque

THESIS XVIII.

Prima rerum causa efficiens, utpote simpliciter prima in ratione entis, est ipsum ESSE PER SE SUBSISTENS a quo cetera omnia suum esse participant. Est propterea actus purissimus, simplex omnino, et absolute in perfectione infinitus.

580. **Probatur I. pars.** — Causa enim prima efficiens profecto, idcirco quia eiusmodi est, minime habet esse ex efficientia alterius. Hinc vero sequuntur duo quae in hac prima parte asserimus.

I. Primo quidem manifeste elucet, nullam, ne virtutalem quidem, adesse distinctionem inter essentiam et esse causae huiusmodi. Si enim a nullo alio ente suum esse recipit, oportet illud habeat ex vi suae propriae essentiae. Nequit autem id intelligi per modum emanationis seu resultantis naturalis, ea ferme ratione qua proprietates ex essentia emergunt. Si enim ita res haberet, essentia in signo priori ad esse intelligi deberet ut sufficiens principium eiusmodi emanationis seu resultantis: quod est

plane repugnans. Ergo, in ente non facto, ideo essentia ipsius est ratio cur sit, quia unum cum altero formaliter identificatur; est nempe ratio formalis (1). Id porro intelligimus cum dicimus *Esse per se subsistens*. Quotiescumque enim essentia alicuius rei aliud est ab esse, necesse est hoc intelligatur ei advenire per modum actus respectu potentiae in qua recipitur [568, II.].

II. Hinc vero ulterius habetur, nullum aliud ens dari posse in natura rerum, quin esse suum participet ab esse per se subsistenti. Quodcumque enim aliud ens concipitur vel est factum vel infectum. Si primum, cum dari non possit processus in infinitum in ordine causarum, ut suo loco ostendemus, sistatur oportet in causa efficiente quae et ipsa non sit effectus. Quod si alterum dicatur, hoc ideo est, quia fingitur plura dari eiusmodi entia infecta, quorum unumquodque sit suum esse. Atqui talis multitudo contradictionem implicat. Ut enim alibi docuimus [362], in ipso esse per se subsistenti essentia et singularitas nullam ne virtutalem quidem compositionem efficiunt. Atqui haec compositio detur oportet semper ac natura aliqua in pluribus individuis multiplicari potest. Egregie hac in re Suarez. * Ubicumque, ait, ratio communis est multiplicabilis secundum diversas naturas singulares, esto non sit necesse singularitatem in re ipsa distingui a natura communi, oportet tamen ut aliquo

(1) Apposite S. Thomas. "Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum vel a principis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principis essentialibus speciei, vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum esse rei sit aliud ab eius essentia, necesse est, quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principis essentialibus rei; quia nulla res sufficit quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo quod illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo: quia Deum dicimus esse primam causam efficientem." (*Summa th. 1. p. q. 3. a. 4.*)

modo sit extra essentiam talis naturae; nam si esset illi essentialis, revera talis natura non esset multiplicabilis, ut supra dictum est tractando de principio individuationis. In ente autem improducto intelligi non potest, quod singularitas sit extra essentiam naturae eius. Ergo impossibile est, ut talis natura sit multiplicabilis. Minor probatur, quia in ente improducto necesse est, ut ipsum esse existentiae sit de essentia eius: in eo enim consistit intrinseca necessitas essendi, quod ex vi essentiae suae habeat esse ita, ut essentialiter sit suum esse. Sed esse non est nisi rei singularis, ut singularis est. Ergo necesse est, ut singularitas talis naturae sit etiam de essentia eius, et consequenter ut talis natura non sit multiplicabilis. (Metaph. D. 29, sect. 3, n. 11.) (1)

581. *Probatur II. pars.* — Ex principiis modo praestitutis, facilis intellectu est proprius modus actualitatis, quae est de ratione primi Entis. Id vero triplici assertionem declaramus.

I. Actus dicitur *purus* sive *sincerus* quatenus ei non admiscetur potentia, passiva scilicet; activa enim, nedum actui opponitur, quin potius ei innitur ac proportionatur [569]. Atqui esse per se subsistens solo constat actu

(1) Huc etiam redit demonstratio adhibita a S. Thoma his verbis. "Nihil eorum, quae conveniunt huic signato, in quantum est hoc signatum, possibile est alii convenire: quia singularitas alieius rei non inest alteri, praeter ipsum singulare. Sed ei, quod est necesse esse, sua necessitas essendi convenit in quantum habet esse hoc signatum. Ergo impossibile est, quod alicui alteri conveniat; et sic est impossibile quod sint plura, quorum quodlibet sit necesse esse, et per consequens est impossibile esse plures Deos. Probatio mediae. Si enim illud, quod est necesse esse, non est hoc signatum, in quantum est necesse esse, oportet quod designatio sui esse non sit necessaria secundum se, sed ex aliquo dependet. Unumquodque autem, secundum quod est actu, est distinctum ab omnibus aliis; quod est esse hoc signatum. Ergo quod est necesse esse dependet ab alio, quantum ad hoc quod est esse in actu: quod est contra rationem eius, quod est necesse esse. Oportet igitur quod id quod est necesse esse, sit necesse secundum hoc quod est signatum. (1. Cont. Gent. c. 43, ratione 10.)

sine ulla permixtione potentiae. Proxime id consequitur ex axiomatico, quod paulo ante declaravimus [575]. Ad rem S. Thomas. "Quamvis in uno et eodem, quod quandoque invenitur in actu, quandoque in potentia, potentia tempore prius sit actu, natura autem posterius: simpliciter tamen oportet actum esse priorem potentia, non solum natura, sed tempore, eo quod omne ens in potentia reducitur in actum ab aliquo ente actu. Illud ergo ens, quod omnia entia fecit esse actu, et ipsum a nullo alio est, oportet esse primum in actu, absque aliqua potentiae permixtione. Nam si esset aliquo modo in potentia, haberet aliud ens prius esse, per quod fieret actu." (Qq. Disp. Pot. q. 7, a. 1.)

II. Compositio alia est *realis*, alia *virtualis* [363]. Utrunque excludit propria actualitas primi Entis. Priorem quidem, ut quae non datur sine vera potentialitate. In omni enim composito, vera et physica compositione, vel una pars est in potentia respectu alterius, ut materia relate ad formam, substantia respectu accidentis, vel saltem omnes partes sunt in potentia ad totum, cuius propterea habentur quasi partes materiales. Atqui Ens primum est actus purus et sincerissimus. Aliud vero genus compositionis et ipsum excludit etiam hac ratione. Quaelibet enim ratio specifica vel generica non habet esse secundum se in rerum natura, sed ratione individuum, quae sub specie vel genere continentur; cum nihil sit in natura rerum, nisi prout est individuum sive numerice unum. Atqui genus et species praedicantur de rebus in quaestione *Quid est*, nempe referunt notas rei quidditativas. Ergo in eo, quod genere vel specie continetur, essentia seu quidditas est aliud ab esse, virtute saltem. Atqui huiusmodi distinctio est plane aliena ab actualitate primi Entis. Ergo in nullo genere aut specie continetur, ac propterea minime in eius natura reperiri potest virtualis compositio, ut quae efflorescit ex natura eiusque differentia sive specifica sive individuali.

III. *Lines* seu *mensura* potest intelligi in aliquo actu seu perfectione tripliciter. Primo ex parte agentis, quem-

admodum ex voluntate artificis praefigitur quantitas ac terminus pulchritudini domus. Alio modo ex capacitate recipientis, sicut scientia vel calor limitatur secundum dispositionem et habilitatem subiecti. Denique potest etiam concepi terminus seu limes in perfectione aliqua, si id posuletur ex ipsa formali ratione talis actus seu perfectionis. Exemplo sit numerus, puta centenus. Certe bene fieri potest, quod ex parte tantum reperiatur in aliquo subiecto, sive propterea quod agens non totam hanc quantitatem subiecto ceteroquin capaci impertiat, sive quia subiectum huic quantitati recipiendae non est idoneum. Quare si neutrum habeatur, profecto talis numerus totus et non diminutus existeret. Non tamen idcirco eiusmodi quantitas infinita diceretur, quia nimirum limes est de ipsa formali ratione talis numeri. Ex qua declaratione manifestum fit, semper ac aliquis actus seu perfectio eiusmodi est, ut secundum se spectata limitem seu mensuram in sui ratione non involvat, eam non posse intelligi minoratam ac limitatam in aliquo, nisi vel ex parte agentis, vel ex parte subiecti recipientis id habeatur. Hoc modo ex. gr. calor secundum se consideratus non postulat ut sit in determinato quolibet gradu intensitatis, sed quicumque assignetur, non repugnat ipsi formali rationi caloris, ut in gradu adhuc intensiori existat. Omnis proinde limitatio in eo habetur, quia vel ab agente vel secundum capacitatem subiecti quantitatem seu mensuram recipit. His positis, facile est ostendere, nihil horum affirmari posse de propria actualitate primi Entis, unde limitem aliquem in ratione entis possit adsciscere. Cum enim sit ipsum esse per se subsistens, in eo nequit figi limes neque ex parte agentis neque ex parte recipientis: est enim esse utroque modo prorsus omnino irreceptum. Si itaque habetur limes in essendo, hoc provenire debet ex ratione ipsa formali *esse*. Atqui id dici non potest. Esse enim, quantum est de sui ratione, non habet ut in determinato gradu seu mensura reperiatur: ac propterea ab infinitis et infinitis modis ipsum participari possibile est. Hinc intellectus, cuius obiectum adequatum est ens prout huius-

modi, in infinitum se extendit: cuius signum est quod quantitate qualibet finita data, maiorem semper excogitare potest. Cum itaque haec sit propria et essentialis ratio actualitatis primi Entis, *ipsum esse* videlicet, necesse est ut sit actus absolute, h. e. in ipsa ratione essendi infinitus. Unumquodque autem est perfectum in quantum est actu [485]. Ergo primum Ens est actus absolute in perfectione infinitus (1).

THESIS XIX.

Notio absoluta infiniti cum notione entis absolute perfecti reciprocatur quidem, ab ea tamen formaliter differt. Utraque vero cum notione, sive totius, sive entis in genere, non nisi imperite confunderetur.

582. *Declaratur I. pars.* — Quid nomine entis *absolute perfecti* intelligatur, suo loco declaravimus [488]. Quamobrem haec ratio in solo primo Ente veritatem habet, ad denotandam absolutam plenitudinem perfectionis seu nobilitatis, quae primo fonti perfectionum omnium conveniat necesse est. Elsi autem id ipsum reipsa denotat notio absoluta infiniti, ac propterea una cum altera reciprocatur, non sunt tamen notiones synonymae. Praestat proinde absolutam infiniti notionem paulo uberius ex mente Angelici declarare.

(1) Huc redit demonstratio ab Angelico proposita (*Summa th. 1. p. q. 7. a. 1.*), iuxta declarationem ab eodem traditam (*Qd. Disp. Pot. q. 1. a. 2.*). Eandem paucis nitide ipse resumit his verbis. * *Ipsum esse, absolute consideratum, infinitum est: nam ab infinitis et modis infinitis participari possibile est. Si igitur alicuius esse sit finitum, oportet quod limitetur esse illud per aliquid aliud, quod sit aliquando causa illius esse vel receptivum eius. Sed esse divini non potest esse aliqua causa, quia ipse necesse est esse per seipsum; nec esse eius est receptivum, cum ipse sit suum esse. Ergo esse suum est infinitum et ipse infinitus.* (1. *Cont. Gent. c. 43.*)

I. Iam age, *finitum* et *infinium* a *fine* seu *termino* denominantur. Terminus autem seu limes primo quidem in magnitudine quantitatis dicuntur. Quare, attenta prima impositione horum nominum, finitum dicitur quod terminum seu litemen habet in quantitate suae magnitudinis: infinitum contra, quod sine termino suae magnitudinis extenditur. Quid porro sit *habere terminum* in magnitudine, dupliciter concipimus et explicamus. Uno modo *comparative*, referendo nimirum unam magnitudinem ad aliam, et sic dicimus limitatam illam quae ab alia superatur, quae idcirco est *alia minor*. Quamobrem infinitum in magnitudine, comparative consideratum, illud dici debet, *quo nihil maius*. Ceterum iste modus concipiendi, tametsi valde obviu, non videtur exactam huius infiniti notionem suppeditare. Certe, quamvis huius universi extensio supponeretur esse unice possibilis, non idcirco infinita diceretur. Contra, homines possibiles, prout obiciuntur in mente divina, sunt infiniti, etsi ipsorum multitudo superatur a multitudine possibili, puta digitorum eorundem. Hinc secundo et exactius praedicta notio finis seu limitis in magnitudine explicatur *absolute*, nimirum sistendo in eadem magnitudine quae dicitur finita, quamvis minime comparetur cum alia a qua forte superetur. Hoc modo hanc rem declaravit Aristoteles (3. *Physic.* c. 6. al. 8.), ubi sequentem tradit definitionem infiniti in magnitudine: *Infinium est, quod secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere*. Sensus est: infinitum nempe est, cuius semper est aliquid extra ita, ut accipiens ex illius quantitate secundum aliquam mensuram possit aliam et aliam quantitatem semper accipere absque eo quod illam unquam assumat. Et re quidem vera, si quis attente consideret, quo pacto concipiamus infinitum in quantitate sive continua vel discreta, sive permanenti vel successiva, experietur sic et non aliter id a nobis concipi. Quomodo vero id locum habeat in magnitudine perfectionis, mox dicemus. Interim sistendo in magnitudine quantitatis, notamus cum Sylvestro Mauro: "Finitum, non autem infinitum definiendum esse per negationem.

Finitum enim est, quod non extenditur ulterius: at infinitum est quod ulterius et ulterius extenditur, ideoque secundum quantitatem accipientibus semper est aliud et aliud extra accipere. Hinc est, ut licet nomen infiniti sit grammaticaliter negativum, philosophice est positivum. E converso nomen finiti, licet grammaticaliter positivum, philosophice est negativum. (Qq. *Philos.* lib. 2. q. 33.)

II. Duplex est magnitudo, altera materialis secundum quantitatem, spiritualis altera, quae nimirum attenditur in perfectione, seu potius in perfectionis, ut ita dicam, intensitate. Quare Augustinus: *In his, ait, quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius esse.* (6. *Trinit.* c. 9.) Infinitum proinde in magnitudine perfectionis tantum valet quantum *sine fine perfectum*. Quid porro negetur dicendo *sine fine*, explicari debet secundum quamdam proportionalitatem cum modo quo similem negationem declaravimus in magnitudine quantitativa. Et quod attinet ad primum modum explicandi, res facilis est. Est nempe infinitum in perfectione *quo nihil melius concipi potest*. Hac porro ratione plures theologi attributum divinae infinitatis explicare consueverunt, ac propterea ex eorum mente nihil aliud hoc attributo significatur, quam quando Deus praedicatur *universaliter perfectus*. Sic tamen non satis elucet discrimen q. IV. a q. VII. Doctoris Angelici in sua *Summa Theologica*; nec praeterea videtur satis declarari immensitas divinae perfectionis, quam attributo infinitatis concipimus. Recurrere proinde oportet ad alterum explicandi modum supra insinuatum, cum proportionem videlicet ad posteriorem modum, quo declaravimus infinitatem in magnitudine molis. Id egregie indicat S. Gregorius Nyssenus his verbis: *Magnum cogita, et huic magno plus etiam adde quam cogitasti, atque ita exple cogitationem tuam, neque unquam quae infinita sunt capies. Non magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.* (Orat. I. in illud Gen. *Faciamus hominem...*) (1). Apposite

(1) Sic etiam videtur haec res declarari in usitato more loquendi

etiam Toletus. "Deus est in essentia infinitus. Explico, Deus simplicissima res est ac indivisibilis; habet tamen latitudinem perfectionis infinitam ita ut totam entis perfectionem ac actum habeat, *nec in ea ullus sit terminus vel mensura.*" (*Summa th. q. 7. a. 1.*)

III. Patet ex dictis, traditam infiniti notionem esse maxime absolutam, si in se spectetur; nobis tamen intellectu facilius et clarior fit, si a posteriori declaratur. Quocirca haec observa, cum S. Thoma. "Spiritualis magnitudo, ait, quantum ad duo attenditur, scilicet quantum ad potentiam, et quantum ad propriae naturae bonitatem sive completionem. Dicitur enim aliquid magis vel minus album, secundum modum quo in eo sua albedo completur. Pensatur etiam magnitudo virtutis ex magnitudine actionis vel factorum. Harum autem magnitudinum una aliam consequitur; nam ex hoc ipso quod aliquid actu est, activum est. Secundum igitur modum, quo in actu suo completur, est modus magnitudinis suae virtutis." (*1. Cont. Gent. c. 43.*) Haec distinctio S. Doctoris in re praesenti specialem habet utilitatem. Nempe infinitatem divinae virtutis haud difficulter concipere possumus ea ratione qua diximus, quatenus scilicet tantae sit perfectionis, ut numquam exhauriri queat, tametsi magis ac magis in infinitum participetur aut communicetur. Cum vero, ut dictum est, perfectio virtutis in ipsa actualitate perfectionis naturae radicem habeat, eique respondeat, necesse est infinita sit entitativa perfectio naturae quae infinita agendi virtute pollet. Hoc modo divinae essentiae infinitas a posteriori quidem declaratur potius quam secundum propriam ipsius rationem; sed quoad nos id notius est, sicut etiam in aliis multis fieri consuevit.

583. **Declaratur II. pars.** — Facile id constat ex iis quae praemissa sunt, et ex communi naturae sensu.

Scripturarum ac SS. Patrum. Confer Ps. 144. v. 3., Ephes. c. 3. v. 20., Eccli. c. 18. v. 2., 6... Item Dionysium (*De Divinis Nominibus*, c. 13. §. 1.), Hilarium Pietav. (*In Ps. 144. v. 3.*), Augustinum (*Enarr. in Ps. cii.*).

I. Ac primo quidem patet immane discrimen, quod intercedit inter totius ac infiniti notionem. Id Aristoteles ex professo tractat (*loc. cit.*), ubi reprehendit antiquos philosophos propterea quod infinitum definiverint *extra quod nihil est*, quae est propria definitio totius. Apposite Sylvester Mauro. "Respondeo, ait, antiquos philosophos confudisse infinitum cum toto, et infinito dedisse definitionem totius. Dixerunt enim infinitum esse, extra quod nihil est. Patet autem hanc esse definitionem totius et universi. Sicut enim totus homo est, cui nihil deest eorum quae spectant ad hominem, ita totum simpliciter et universum absolute est, extra quod nihil omnino est. At pariter est manifestum, quod ratio et essentia infiniti non consistit in hoc, ut extra illud nihil sit, cum ad infinitum neque sufficiat, neque requiratur, ut nihil sit extra illud. Non sufficit quidem, quia si quantitas mundi ponatur determinatae magnitudinis, ex gr. centum milliariorum, tum extra quantitatem mundi nulla esset quantitas, et tamen quantitas mundi non esset infinita, sed finita, hoc est centum milliariorum. Similiter non requiritur ad infinitum, ut extra illud nihil sit; si enim ponantur infiniti homines, et ab iisdem separentur decem, reliqui remanent infiniti, et tamen extra illos essent decem homines. Potius igitur infinitum est, cuius semper est aliquid extra, ita ut accipiens ex illius quantitate semper possit aliam et aliam quantitatem accipere absque eo quod illam unquam absumat." (*Qq. Philos. lib. 2. q. 33.*)

Confirmatur hoc manifeste ex eo, quod ens absolute infinitum in perfectione, ideo quia tale est, infinita agendi virtute pollet, et sic absque termino potest efficere alia, quae eius perfectionem plus minusve participent. In hac porro hypothese eiusmodi ens non desineret esse infinitum, et tamen extra ipsum essent alia entia, quamvis non inde plus perfectionis haberetur quam si solum existeret ens infinitum, quia nimirum quidquid perfectionis ab istis participatur, tamquam in fonte praexistit in eo unde eam participant.

II. Quod si notio absoluta infiniti comparetur cum

notione entis universalissimi, oppido differunt utriusque sive *extensio* sive *comprehensio* consideretur. Primum quidem ex eo patet, quod notio absoluta infiniti est essentialiter singularis et immultiplicabilis: contra notio entis in genere, quod propterea dicitur universalissimum. Comprehensio autem alia est omnino in notione entis, quam quae habetur in notione absoluta infiniti. In hac enim est maxima, in ea minima: comprehensio enim et extensio terminorum se habent ratione reciproca [26]. Et ratio manifesta est. Notio enim entis, utpote omnium communissima, praescindit a proprio modo essendi omnium et singulorum entium, ac propterea etiam limitem neque affirmat neque negat. Hinc est minimum quod concipi potest. Contra omnino se habet notio absoluta infiniti. Quare egregie S. Thomas. * Id quod commune est vel universale, sine additione esse non potest, sed sine additione consideratur. Non enim animal potest esse absque rationali vel irrationali differentia, quamvis sine his differentiis cogitetur. Licet etiam cogitetur universale absque additione, non tamen absque receptibilitate additionis est: nam si animali nulla differentia addi posset, genus non esset, et similiter est de omnibus aliis nominibus. Divinum autem esse est absque additione non solum cogitatione, sed etiam in rerum natura; et non solum absque additione, sed etiam absque receptibilitate additionis. Unde ex hoc ipso quod additionem non recipit nec recipere potest, magis concludi potest, quod Deus non sit esse commune, sed proprium: etenim ex hoc ipso suum esse ab omnibus aliis distinguitur, quia nihil ei addi potest. Unde Comment. in lib. de *Causis* dicit, quod caddi prima, ex ipsa puritate suae bonitatis, ab aliis distinguitur, et quodammodo individuatur. (1. *Cont. Gent.* c. 26.)

SECTIO IV.

*An et qualis compositio
ex potentia et actu sit de generali
ratione entis creati.*

584. **Tituli declaratio.** — Quaestionem modo agredimur plane subtilem, et qua fortasse nulla est difficilior in tota Metaphysica. Ut igitur maiori, qua possumus, perspicuitate eam proponamus, exordium ducimus ab ipsa declaratione tituli, quem praesenti quaestioni praefiximus. Iam age, ens factum dupliciter spectari potest. Primo, secundum propriam rationem sive generis sive speciei, in qua constituitur, puta substantiae, accidentis, etc. Hoc modo si consideretur, facili inductione ostendi potest, nullum dari ens eiusmodi, cui aliqua potentia non admisceatur. Sed de hac re nulla fit controversia. Secundo itaque spectari potest in ipsa generali *ratione entis facti*, et sub hac ratione unice spectatum, sit nec ne ex potentia et actu vere et proprie compositum, in controversiam adducitur. Quod enim est factum, eo ipso quod tale sit, profecto non existit vi propriae naturae, sed esse recipit ex influenza exterioris agentis, ac propterea merito quaeri potest, utrum duo sint in eo reipsa distinguenda, alterum per modum potentiae receptivae, quae sit essentia ipsa cui esse advenit, alterum vero per modum actus qui sit ipsum esse, quo essentia compleatur, non quidem in hoc genere vel specie, sed in ipsa ratione entis.

585. **Praesupponenda ad resolutionem quaestionis.** Ceterum, ut status praesentis controversiae penitus intelligatur, duo in antecessum sunt necessario praesupponenda.

I. Creatura, priusquam a Deo fiat, nullum habet in se verum esse actuale. Nam secundum catholicam fidem, et naturalem rationem constat, solum Deum esse ens per se necessarium. Quapropter S. Thomas. * Ex hoc ipso, ait, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. » (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 5. ad 2.)

II. Citra dubitationem ullam, alius est conceptus rei creatae, puta hominis, quoad essentialia ipsius constitutiva, a conceptu actualis eiusdem existentiae. Neque huiusmodi diversitas conceptuum oritur dumtaxat ex confuso modo percipiendi nostri intellectus, sed immititur in ipsa essentiali contingentia creaturae. Unde fit, ut Deus ipse, tametsi comprehensive intelligit essentiam uniuscuiusque, non ideo tamen intelligit rem existere. * Nulla essentia, ait S. Thomas, sine his quae sunt partes essentiae intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo facto: possum enim intelligere, quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare, an esse habeat in rerum natura. Ergo patet, quod esse est aliud ab essentia vel quidditate, nisi forte sit aliqua res, cuius quidditas sit suum esse, et haec res non potest esse, nisi una et prima. » (Op. De Ente et Essentia, c. 5.)

586. **Cardo controversiae.** — His praesuppositis, enascitur gravis controversia quae in hoc tota vertitur. Quando producit ex. gr. homo, id quo formaliter constituitur in genere et in specie, et quod respondet conceptui quidditativo eiusdem, ideoque essentia seu quidditas humanitatis appellatur; ac illud quo formaliter haec quidditas seu essentia est actu in rerum natura, h. e. extra conceptum mentis et extra suas causas, et quod respondet conceptui quo intelligimus eam esse in actuali exercitio suae existentiae: haec duo, inquam, sunt ne sola ratione ratiocinatae invicem distincta, vel contra maior aliqua distinctio inter ea admitti debet, quo univoco praedictorum conceptuum sua constet ratio, eorumdemque diver-

sitas obiectiva in tuto collocetur? Quocirca perperam haec quaestio sic proponeretur, quasi dubium sit, num esse seu existentia rerum creaturarum sit aliquid aliud reipsa distinctum ab earumdem entitate, h. e. ab eo quod significatur vocabulo entis eis attributi. Id enim perinde esset, ac si quaereretur, utrum esse seu existentia rerum creaturarum sit nec ne nihil, quod certe ridiculum est. Nempe, ut ante monuimus [430...432], sedulo distinguere oportet duplicem rationem seu intentionem intellectam, vocabulo entis significatam, nimirum *essentiam secundum quam* res est aut esse potest, et hoc ipsum *esse quo* est aut esse potest. Quærimus proinde. Haec duplicitas seu distinctio rationum essentiam inter et esse, si sermo sit de rebus creatis, est ne dumtaxat in intellectu nostro, tamquam in subiecto, ut quaeris alia distinctio rationis [467], vel contra, etiam in re ipsa quae concipitur, *essentia secundum quam in genere vel specie constituitur, aliud revera est, citra mentis praecisionem, ab ipso esse quo actu sistitur in seipsa extra conceptum mentis et extra suas causas?*

587. **Diversae sententiae.** — Huic quaestioni, sub his terminis propositae, duplex habetur responsio secundum duplicem celebrem sententiam. Prima cum Alexandro Alensi (*Metaph.* lib. 7. tex. 22.), Soto (4. *Dist.* 10. q. 2.), Suarez (*Metaph.* D. 31.), aliisque bene multis, eligit primum membrum propositae disjunctionis, neque aliam agnoscit distinctionem inter essentiam et esse creaturarum, nisi solius rationis ratiocinatae. Alii contra non pauci neque ignobiles, praesertim ex antiquioribus scholasticis, hac distinctione minime contenti sunt, ac propterea docent, essentiam creaturarum, citra mentis praecisionem, non esse idem cum earumdem esse seu existentia actuali, etsi non omnes conveniunt in explicatione modi quo haec duo reipsa differant. Hanc sententiam sequuti fuerunt, teste Suarez (loc. cit., sect. 1. n. 3.), fere omnes antiqui thomistae: quibus, praeter Caietanum (Op. De Ente et Essentia, c. 5, q. 11.), Ferrariensem (2. *Cont. Gent.* c. 5.), adnumerari debent etiam Fonseca (4. *Metaph.* c. 2. q. 4.), Conimbricienses (1. *Physic.* c. 9. q. 6. a. 2.), Sylvester

Mauro (*Qq. Philos.* lib. 2. q. 6.), nec non Card. Pallavicini (*Assertiones theologice*, Lib. 8. *De Deo uno et trino*, c. 3.) (1). Quod attinet vero ad mentem Angelici Doctoris non desunt, qui eam ad priorem sententiam adducere conantur; sed immerito, ut mox ostendetur, praesertim ex his quae tradit de compositione substantiae corporeae. Elsi vero minime negare licet, utramque sententiam modo expositam esse satis probabilem, spectato numero et auctoritate doctorum, qui pro alterutra pugnant [235], nos, priori ommissa, alteram praeeligendam esse ducimus, tum quia argumentis minime spernendis innitur, tum quia malumus in rebus alicuius momenti doctrinam Aquinatis non deserere. Sit itaque

(1) Sfortia Pallavicinus, vir certe in re philosophica aequae ac theologiae apprime consultus, docuit hanc sententiam, dum esset sacrae Theologiae Professor in hac eadem Gregoriana Universitate. Sic porro loquitur initio capitis citati, ubi exprolesso rem pertractat. "Quoniam, ait, est familiaris doctrina S. Thomae, quam ille tanquam certam ac fundamentalem assumit, existentium in solo Deo identificari cum essentia, placet hic eius rationem explicare ac tueri, quantum probabilissime potest. Recentiores etsi magna ex parte in priorem sententiam concesserint, non desunt tamen etiamnum qui cum Matthaeo Liberatore, Caietano Sanseverino, Ioanne Cornoldi, Ludovico De-San, ac Eminentissimis Pecci et Zigliara alteri pro viribus patrocinentur. Iosephus Kleutgen dubius haeret inter utramque et ita suum iudicium hac de re profert. "Da una parte non può negarsi, che una reale distinzione dell'essenza dall'esistenza sia molto ardua a concepirsi, e che la mente facilmente può essere indotta in errore se non proceda con grande cautela: dall'altra parte pare, che tutto quello che di sopra con S. Tommaso venne detto riguarda alla potenzialità dell'essere finito, non richiegga altra distinzione nelle cose esistenti, salvo quella che è chiamata virtuale... Volentieri lasciamo ad altri il chiarire, se è possibile, pienamente una questione così oscura. Ma chiunque è persuaso, avere errato la scuola tomistica, affermando una distinzione reale fra l'essenza e l'esistenza nelle cose create, si contenti d'impugnare la sua dottrina, come lo hanno fatto il Suarez ed altri scolastici; ma non la incolpi di un errore (panteismo), il quale, come da questi, così da essa non solo fu schivato, ma fu combattuto. (*Philos. antica*, Tratt. 6. n. 578.)

THESIS XX.

Doctrina quae tendit in omni re quae praeter deum existit, essentiam secundum quam in genere et specie constituitur, citra mentis praecisionem distingui ab esse quo actu sistitur in seipsa et extra suas causas: — I. Est procul dubio tradita ab Aquinate; — II. Satis idonea videtur, quo contentia rerum creaturarum vindicetur; — III. Et ipsarum interna compositio secundum esse sive accidentale sive substantiale penitus intelligatur.

588. *Probatum I. pars.* — Mens D. Thomae hac in re satis patere potest, attenta generali ratione loquendi quam constanter adhibet in re praesenti, et quae certe nimis contorquenda foret si sola distinctione rationis contentus fuisset. Legatur ex. gr. quae habet (*Summa th.* 1. p. q. 54. aa. 1. 2. 3., q. 66. a. 1., q. 79. a. 1.: 3. p. q. 2. a. 6. ad 2., q. 17. a. 2. — 2. *Cont. Gent.* cc. 52. 53. 54. 56. 68.). Certe quidem, si adversarii hoc modo loquerentur, non dubium esset quin pro nostra sententia stare putarentur. Ceterum, ut res clarius elucescat, seligo quaedam tantum doctrinae puncta, quae in doctrina Angelici hanc distinctionem manifeste vel continent vel subaudiunt.

I. Primo itaque S. Doctor constanter exhibet essentiam creaturarum esse potentiam sic distinctam ab actu essendi, quemadmodum potentia operativa earumdem distinguitur ab operatione. "Impossibile est, ait, quod actio Angelii vel cuiuscunque alterius creaturae sit eius substantia. Actio enim est propria actualitatis virtutis, sicut esse est actualitas substantiae vel essentiae. Impossibile est autem, quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas, quia

actualitas potentialitati repugnat. Solus autem Deus est actus purus. Ergo in solo Deo sua substantia est suum esse et suum agere. (Summa th. 1. p. q. 54. a. 1.) Gemina habet tum in eadem q. a. 3., tum ubicumque tractat de distinctione operationis et virtutis activae a substantia creaturarum. Atqui manifestum est, praesertim ex tota doctrina S. Thomae, in solo Deo reipsa unum idemque esse actionem et potentiam agendi.

II. Docet praeterea passim idem S. Doctor, primam materiam rerum corporalium secundum se esse potentiam, physicam quidem, sed puram omnino, h. e. *denudatam ab omni actu*: unde infert (Summa th. 1. p. q. 66. a. 1.), *intrinsicam contradictionem* haberi in eo quod materia eiusmodi ponatur esse in natura rerum sine forma. Atqui manifeste elucere existimo, haec omnia nec veritatem nec sensum habere, si materia reipsa unum idemque esset cum sua existentia. Quod si in re huiusmodi essentia ab esse plusquam ratione distinguitur, nihil est cur ad omnem creaturam similem distinctionem non extendamus.

III. Est etiam doctrina S. Thomae, quod in rebus corporalibus, tametsi earumdem substantia duplici principio realiter distincto intrinsicis coalescit, haec duo principia tamen non duplici sed *uno dumtaxat esse* actuentur. Hinc praecleara illa sententia S. Doctoris. * Ad ipsam etiam formam comparatur ipsum esse ut actus: per hoc enim in compositis ex materia et forma dicitur principium essendi, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum esse; sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit esse proprium subiectum luminis. (2. Cont. Gent. c. 54.) Lege etiam quae habet (Qq. Disp. De Anima, a. 9.). Iam vero, si esse creaturae non distingueretur ab ipsius essentia, quemadmodum, in substantiis compositis ex materia et forma, alia certe est essentia materiae, alia vero essentia formae, sic etiam alio et alio esse utraque actuetur. Id praeterea aperte confirmatur ex observatione mox subiicienda.

IV. Quarto itaque in hoc praecise ex mente Angelici reponi debet proprius modus essendi formae subsistentis

seu spiritualis, quatenus haec distinguitur a forma sive accidentaliter sive substantiali non subsistenti, quod illa, secus ac ista, communicat quidem suum esse materiae cui unitur, ex qua communicatione materia habet ut sit actu in rerum natura, potest tamen illud sibi soli reservare, atque ita subsistere etiam composito dissoluto. Sic docet (2. Cont. Gent. cc. 57. 68.; Qq. Disp. De Anima, a. 1.). In hoc posteriori testimonio haec inter cetera notari debent. Proponit sibi difficultatem sequentem. * Esse corporis est esse corruptibile et ex partibus quantitativis resultans; esse autem animae est incorruptibile et simplex. Ergo corporis et animae non est unum esse. Huic certe obiectioni, si materia corporalis existeret per esse distinctum ab eo, quo anima subsistit etiam post fata corporis, alia responsio aptari deberet quam quae traditur a S. Doctore his verbis. * Dicendum, ait, quod illud quod proprie corrumpitur non est forma, neque materia, neque ipsum esse, sed compositum. Dicitur autem esse corporis corruptibile, in quantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse, quod erat sibi et animae commune, quod remanet in anima subsistente. Et pro tantum dicitur etiam ex partibus consistens esse corporis, quia ex suis partibus corpus constituitur tale ut possit ab anima esse recipere. (loc. cit. ad 14.) Ex hoc principio etiam satisfaciunt difficultati quae contra unionem substantialem animae humanae cum corpore ducitur ex illo axiomatico: *Omne quod advenit alicui post esse completum advenit ei accidentaliter*. * Dicendum, ait, quod illud quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus advenit animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine, quia aliud est esse albi, et aliud est esse hominis, cui advenit albedo. (Summa th. 3. p. q. 2. a. 6.) (1)

(1) Ut postremi huius testimonii vis plenius intelligatur, notari

V. Hue denique facit alia doctrina S. Thomae, quam supra innuimus [541], qua nimirum unio hypostatica humanae naturae cum Verbo sic declaratur, ut quemadmodum corpus trahitur ad subsistendum in eo ipso esse quod est animae proprium, sic etiam tota natura humana assumatur ad subsistendum in ipso esse personae assumptis, quamvis in priori casu unio habeatur in naturae unitatem, in altero vero secundum communionem hypostasis dumtaxat.

589. *Probatur II. pars.* — Ostendendum modo est, quo pacto sapienti ratione in hac sententia declaratur ipsa essentialis distinctio creaturarum a Creatore, quae in ipsarum intrinseca contingentia reposita est. Argumentum in toto suo robore huc redit. Esse minime continetur in essentia creaturae, puta hominis, tametsi haec *adaequato conceptu* intelligatur. Ergo essentia et esse in rebus creatis plusquam ratione distinguuntur. Antecedens huius argumenti constat ex contingentia essentiali rerum creaturarum. Consequentia vero colligitur ex his, quae suo loco dicta sunt de distinctione rationis [467], quae nulla est nisi inter ea, quae plus minusve inadaequate concipiuntur (1).

debet ex mente S. Thomae, quam tum alibi tum praesertim (Qq. Disp. *De spirit. creat.* a. 2. 3.) expositam invenies, ex uno eodemque esse corpus humanum habere ut sit actu non solum in specie hominis, nec solum in genere animalis, viventis, corporis et substantiae, verum etiam sub analogica ratione entis, seu essentiae cui convenit esse.

(1) Hoc argumentum paulo latius sic evolvit Cardin. Pallavicini loc. cit. * Ex his, quae habet S. Thomas (*Somma th.* I. p. q. 3. a. 4. et alibi praesertim), sic ferme disputari licet. Quidquid habet aliquod praedicatum, vel habet illud per suam essentiam, vel habet illud ut emanans a suis principis intrinsecis, vel habet illud per participationem ab alio. Primo modo, ex gr. homo est animal. Secundo modo, est risibilis. Tertio modo, est illuminatus. Porro existentia rerum contingentium non potest haberi primo modo, neque secundo: quia omne ens contingens habet esse per participationem et non per naturam, et sic est illi accidentale, quod sit vel non sit. Quemadmodum vero cetera bona in creaturis distinguuntur ab eo subiecto, quod habet illa bona; ita etiam *esse*, quod est primum

Huic argumento respondebit fortasse quispiam, distinguendo *diversum modum*, quo tum essentia, tum esse creaturae concipi possunt. Cum enim ipsa existentia creaturae sit contingens, tripliciter spectari potest, nimirum ut actu exercita in rerum natura, ut mere possibilis, ac denique abstrahendo ab utroque statu, mere videlicet

bonum, distinguitur in creatura ab eo cuius est esse. Et idcirco esse est donum Dei; nulla enim res donatur sibi ipsi, sed alteri. Item *non improbanda ratione appellari posse gratiam*, dixerunt Patres Africani, Ep. 95., apud Augustinum, licet negent esse illam gratiam, de qua loquitur Scriptura et quam Pelagius inficiabatur. Gratia autem sine dubio distinguitur ab eo cui datur. Et ratio est, quia tam donum, quam gratia, quae mihi conferuntur, sunt aliquid meum et possessum a me: ego autem non sum meus nec me possideo. Ceterum creatura ex se et remoto omni dono et omni gratia, remanet nihil. Idcirco est vera haec propositio, *homo est essentialiter animal rationale*; quia per illud idem, per quod est homo, est animal rationale: at non est verum, *homo essentialiter existit*; quia non per illud idem, per quod est homo, est existens, sed per aliquid distinctum et accidentale. In hoc autem existentia differt ab aliis praedicatis non essentialibus, ut explicavimus capite superiore, quod haec possunt manare ex principis intrinsecis, atque ideo haberi non per participationem, sed a se: verbi gratia, ignis a se est calidus, aqua per participationem ab igne. At existentia, si non habeatur per essentiam habetur per participationem; neutrum enim potest producere seipsum, sicut potest calefacere seipsum. Quare non datur medium inter ens per essentiam, hunc esse improductum, et inter ens per participationem: ideoque omne ens a se est ens per essentiam, et improductum, et dicitur habere existentiam a se, non in genere causae efficientis, sed quasi in genere causae formalis, hoc est per seipsum formaliter. Denique quidquid habet aliquod praedicatum per participationem, recipit illud ab habente tale praedicatum a se: et quia omne id, quod habet esse a se, habet esse per essentiam, ideo omne ens per participationem recipit tandem suum esse ab eo, quod existit per essentiam. * Hue usque praelaudatus auctor. Deinde subdit haec digna plane quae notentur. * Omnis autem difficultas, quae fit contra distinctionem existentiae ab essentia, oritur ex eo, quod homines assueti per sensus tractare ac numerare individua subsistentia, acre concipiunt aliquid ita esse *ut quo*, quin simul sit ut *quod*, propter quam ipsam rationem veteres Philosophi ante Aristotelem, et multi ex recentioribus negant distinctionem accidentium in eodem supposito, et cuncta componunt ex atomis incompositis.

concipiendo ipsam rationem obiectivam existentiae, puta humanitatis. Iam vero, sub priori consideratione, *esse* profecto continetur in ipso conceptu existentiae, ut patet: nihil enim aliud est existentia actu exercita in rerum natura, nisi existentia, *quatenus simpliciter est*. Quod si existentia, puta humanitatis, inspicitur ut mere possibilis, vel abstrahendo num revera sit nec ne in natura rerum, non *affirmatur* quidem de ipsa *quod sit*, videlicet *esse*, hoc tamen *esse* etiam *apprehenditur*: secus enim idem simul conciperetur et non conciperetur, quippe nihil aliud est existentia, quam *esse*. Simili modo loquendum est de essentia creaturae ob suam contingentiam. Elsi enim essentia creaturae, ex gr. humanitatis, ac *esse* eiusdem sunt una eademque entitas, haec tamen entitas, utpote contingens, potest sine contradictione *apprehendi*, conceptu etiam proprio et adaequato, *quin affirmetur*. Quidni igitur per huiusmodi distinctionem, quae profecto solius rationis est, inter praedictam *affirmationem* entitatis creaturae eiusdemque *apprehensionem*, innixam in ipsius creaturae contingentia essentiali, sufficienter explicetur contingentia propria creaturarum?

Fateor, hanc responsionem *esse* probabilem, ut expresse etiam concedit Card. Pallavicini (*loc. cit.*), ac propterea argumentum factum non puto *esse* demonstrativum. Duriusculum tamen videtur, non maiorem haberi distinctionem in re praesenti, quam quae in hac responsione conceditur. Verius enim apparet, essentiam, puta humanitatis, eiusque actualem existentiam, non solum distinguui in *modo* quo concipiuntur, ut esset ex gr. *vita* et *vivere*, sed etiam in ipsis *obiectis rationibus* quae utroque conceptu intelliguntur. Quare S. Thomas: "Dicendum, aut, quod vita non hoc modo se habet ad vivere, sicut essentia ad *esse*, sed sicut cursus ad currere, quorum unum significat actum in abstracto, aliud in concreto." (*Summa th.* 1. p. q. 54. a. 1. ad 2.) Atqui si haec responsio locum haberet, non alia certe vigeret distinctio inter essentiam et *esse* creaturarum, quam in *modo concipiendi*, qualis haberetur inter eandem omnino rem prout nomine, vel

prout verbo significatur, ut inter *vitam* et *vivere*, *cursum* et *currere*. Id expresse fatetur I. B. De Benedictis, vir profecto ceteroquin acutissimus, qui cum refutasset nostram sententiam, sic concludit. "Superest iam illud unum, ut declarem an sit saltem essentiam inter et existentiam distinctio aliqua rationis. Equidem puto *duo isthaec esse nomina plane synonyma*; nulla enim est explicabilis ratio per unam, et non per aliam uniformiter importata. Differunt tamen ratione essentia et *esse*, existentia et *existere*: res enim, ut explicata per nomen, sumitur ut praecisa ab usu et exercitio realitatis suae; sed ut explicata per verbum infinitum, sumitur ut stans sub usu et exercitio suae realitatis. Alius ergo est conceptus rei importatus per essentiam, qua significantur praecise rei praedicata cum non repugnantia ad *esse*: alius est conceptus explicatus per *esse*, quo denotamus eadem praedicata habere in actu illud exercitium ad quod essentia concipitur velut in potentia. Et quia iam nomen existentiae accipitur pro ipso *esse*, essentia in usitata nunc locutione ab existentia ratione distinguitur, ut essentia ab *esse*. Ceterum hic modus usurpandi existentiam non est nisi penes iuniores; antiqui enim quaestionem hanc agitant sub iis terminis, *Utrum essentia distinguatur ab esse*." (*Philos. Peripat.* tom. 4. lib. 1. q. 1. c. 5.)

590. **Probatur III. pars.** — Alterum argumentum, quo praecipue moveor ad hanc sententiam amplectendam, desumo ex compositione quae propria est cuicunque creaturae secundum *esse* accidentale, quaeque invenitur etiam in ipsa substantia earundem si de rebus corporalibus sermo sit. Et re quidem vera

I. Rectus atque unicus modus quo propria ratio accidentis, vere et proprie talis, concipitur, in eo est, ut non tam ipsum concipiat *esse*, sed potius substantia per ipsum, ut suo loco declaravimus [516, seqq.]. Et haec est ratio quamobrem in eius effectione seu educatione de potentia subiecti, minime concipi debet duplex quasi actio, altera nimirum qua ipsum accidens accipiat *esse*, altera vero qua hoc *esse* cum substantia uniatur seu commu-